

GERMANIA

atque deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax 2
vultus et maior animi vigor. multum, ut inter Germanos,
rationis ac sollertiae : praeponere electos, audire praepositos,
nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, dis-
5 ponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem
inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi Romanae
disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in
exercitu. omne robur in peditum, quem super arma ferra- 3
mentis quoque et copiis onerant : alios ad proelium ire
10 videas, Chattos ad bellum. rari excursus et fortuita pugna.
equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam,
cito cedere : (peditum) velocitas iuxta formidinem, cuncta-
tio propior constantiae est.

Et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata 31
15 cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut
primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi
hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habi-
tum. super sanguinem et spolia revelant frontem, seque 2
tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac
20 parentibus ferunt ; ignavis et imbellibus manet squalor.
fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum 3
id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis
absolvat. plurimis Chattorum hic placet habitus, iamque 4
canent insignes et hostibus simul suisque monstrati.
25 omnium penes hos initia pugnarum ; haec prima semper
acies, visu nova : nam ne in pace quidem vultu mitiore
mansuescunt. nulli domus aut ager aut aliqua cura : prout 5
ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores